

Dissertatio inauguralis de anorexia ... / [Valentin Seliger].

Contributors

Seliger, Valentin.
Sperling, Paul Gottfried, -1709.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Literis Christiani Gerdesii, [1706]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ye97zggp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

ANOREXIA,

QVAM,

Dopo

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

ELECT. SAX. HEREDE, ETC. ETC.

EX AUCTORITATE ET BENIGNO INDULTU

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTER. SPERLINGIO,

Med. Doct. Antom. ac Botan. Prof. Publ. longe celeberrimo,

nec non Archiatro Principis Servestani

Splendidissimo,

DOMINO AC PATRONO SUO ÆTATEM DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIA DOCTORIS
RITE OBTINENDI,

Ad d. VII. Sept. MDCCVI.

HORIS CONSVETIS, ANTE- ET POMERIDIANIS,

IN AUDITORIO MAJORI,

PUBLICÆ PLACIDÆQUE PHILIATRORUM
DISQUISITIONI SUBMITTIT,

VALENTINUS SELIGERUS, Vratislaviens.

VITEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI GERDESIL.

DOMINI IESU CHRISTI MAGISTRIS

AND THE ONE WHO COME

ONE THO WHO COME

WHO COME

GOD SON

SON GOD

WHO COME

WHO COME

WHO COME

WHO COME



§. I.



Ta ratio cum structura ventriculi est comparata, ut multis & variis eadem obnoxia sit morbis, qui cum ejus constitutionem & temperiem graviter saepe laedunt, & a statu suo naturali dejiciunt, aut subinde penitus destruunt & evertunt: tum in totum quoque corpus redundant, & varie illi labem adspergunt, succosque vitales, vel in mixtione & cohæsione suarum particularum turbant: vel in motu suo & circulo impediunt: vel aliis modis afficiunt & alterant, ut pernicies saepe totius interitusque inde consequatur. Proinde Helmontius recto non deerravit, quando statuit, in ventriculo magnum sanitatis & infirmitatum cardinem volvi, Tract: pylorus rector. sect. 2. pag. 215. quatenus cibi minus recte confecti & concocti, in varias cruditates abeunt, quæ non solum reliqua ingesta inquinant, sed etiam

chylum polluunt, unaque cum illo in sanguinem influunt, ejusque puritatem conspurcant, & fundamenta multorum morborum ponunt. Inde enim nascuntur obstrukciones viscerum, & variarum secretionum suppressiones, tumores scirrhosi & œdematosi, qui, si non resolvuntur, saepe in cachexiam & hydropem, interdum etiam in suppurationes tendunt, & vicinas quoque inficiunt partes, ac contagio suo longe lateque serpentes, valde machinam corpoream labefactant, ac quandoque inflammaciones, tandemque gangrenam inferunt. Hæc, & similia, mala experiuntur saepe, qui cibos crudos affatim, magna festinatione, absque sufficienti masticatione, ingerunt, quo fieri omnino debet, ut vis roburque ventriculi vehementer infringatur, eoque fracto, minus semet idem constringere, & ingesta alimenta subigere possit atque eliquare. Diutius itaque eadem, interdum, retinet, & in varias cruditates convertit, interdum citius, quam par est, expellit, & quasi evomit, ut modo per os, modo per alvum, quemadmodum assumta sunt, rejiciantur. Ex his igitur facile intelligimus, quantum, in debilitate ventriculi, fugienda & damnanda sint alimenta dyspepta, & quæ difficilioris sunt digestionis, quodque, solida ingesta, ita dentibus comminuenda & conterrenda sint, ut facile a stomacho eliquari queant;

secus

secus qui faciunt, in gravissimos morbos incur-
runt, ut recte proinde Arabes dixerint, illum
odisse vitam suam, qui odit masticationem. In-
ter morbos vero plurimos, quibus tentatur ven-
triculus, ille forte non ultimum tenet locum, quo
appetitus, vitio potissimum lymphæ vel spiritu-
um langvet, ut ita laborantes, parvo, vel nullo
desiderio, sumendorum ciborum, teneantur. A'vo-
geξlav Græci, Latini appetitum dejectum vel
prostratum, aut inappetentiam nominant, quod
vitium ventriculi, in præsenti, pertractare, loco
speciminis inauguralis, constitui. Faxit Deus
Ter Optimus Maximus, ut omnia in ejus glori-
am, & miserorum ægrotantium salutem vergant.

§. II.

Anorexia itaque graviorem famis læsionem
denotat, in qua appetitus fere penitus aboletur,
cum ciborum fastidio, a majori vitio lymphæ ga-
stricæ, vario modo corruptæ, vel spirituum ani-
malium errore, obortam. In statu enim naturali
lympa ventriculi famem et appetitum ciet, qua-
tenus, acie sua salina, nerveam ventriculi tunicam
rodit et vellicat, indeque, mediante motu lymphæ
nervorum ad cerebrum continuato, sensum ap-
petendorum ciborum in nobis excitat. Scaturit
autem, dicta lympha, ex glandulis in superficie
convexa crustæ villosæ ventriculi, qua tunicæ

nerveæ adhæret, & in ipsa tunica nervea ac vasculo-
sa ventriculi exsculptis; imo ex tubulis, crustam
villosum constituentibus, qui vel glandularum
istarum sunt vasa excretoria: vel arteriarum gastri-
carum, in glandularum formam congregatarum,
extremitates. Per arterias quippe gastricas, quæ
in textura ventriculi eleganti reptatu ambulant,
sangvis, continuo cordis appulsu adductus, quas-
dam sui partes, easque serofas, magisque vel minus
dulces aut falsas, in glandulas & tubulos crustæ vil-
losæ immittit, quæ a partibus rubicundis segregatæ
& seorsim collectæ, paulatim in cavitatem ventri-
culi exstillant. Ibi vero collecta lympha hæc, cor-
pusculis suis salinis, qui bus imprægnata est, & spi-
culis acutis, non tantum tunicam ventriculi ner-
veam lacinat; sed & in cibos ingestos, dentibus
jam comminutos, & saliva, ex parte, solutos, agit,
& motu ventriculi adiuta, eos altius subit, ac eo-
rum consistentiam relaxat & solvit, atque in mas-
sam pultaceam redigit. Hæc, mediante motu con-
tinuo, & quasi trituratione, magis atque magis
funditur, & in liquorem crassiusculum conversa,
ac ad motum magis idonea reddita, per pylorum
ad intestina tendit, atque in via sensim magis a
partibus crassioribus secernitur, & conficitur.
Segregatis autem fecibus, massa nitidior reddita,
cremorem lactis colore refert, & chylus nomina-
tur,

tur, qui per vasa lactea & glandulas mesenterii conglobatas, ad receptaculum commune, & ductum thoracium delatus, venis subclaviis, sive cruralibus, in brutis dictis, infunditur. Ibi vero cum sanguine commiscetur, ad reparandam illam succi vitalis partem, quae continuo exhalat & variis in partibus absunitur.

§. III.

In quacunque igitur ventriculi parte major lymphæ quantitas confluit, in illa etiam fortius nervea tunica lacinatur, & appetitus magis excitatur, vel potius inchoatur, quod in fundo ejus, non æque in orificio sinistro, fieri videtur. Probabile itaque est, Anorexiæ sedem ibi quoque esse querendam, cum causa, quæ appetitum lædit, ibidem quoque lateat, ad quam, in curatione, potissimum est respiciendum. Redundat tamen malum hoc in totum corpus, & nutritionem totius vitiat, ipsaque anima, quæ blandam istam titillationem, a lymphâ salsa, in tunica nervea ventriculi excitatam, in fame naturali percipit, in Anorexia ab hac operatione cessat, atque quiescit.

§. IV.

Causa immediata Anorexiæ, est defectus vellicationis tunicæ nerveæ ventriculi, a majori vitio lymphæ ventriculi, vario modo corruptæ, dependens. Interdum tamen vellicatur quidem tunica

ven-

ventriculi nervea a lymphā ventriculi, liquidum
vero nerveum nimis est aquosum, & partibus elas-
ticis destituitur, aut nervi sunt compressi, vel ob-
structi, aut alio modo læsi; aut spiritus languent,
vel sunt turbati, & in alia re occupantur, ubi sti-
mulus a lymphā ventriculi tunicæ nerveæ impri-
mitur quidem, sed ad sensorium commune non
propagatur. Inde vero mens vellicationem istam
non percipit, & de eadem quoque non judicat,
nullusque ideo appetitus excitatur, ubi abolita
perceptio vellicationis, causa immediata potest
nominari. Ubi vero tunica nervea ventriculi non
vellicatur, ibi causa materialis est lymphā ventri-
culi lenta atque viscosa & effeta, stimulo salino
naturali destituta, vel aquosa, & sero excrementi-
tio inquinata, aut alio modo depravata, quæ, quia
confveto & naturali more non agit in nerveam
tunicam ventriculi, ideo quoque nullus appetitus
sensus in ejusmodi hominibus excitatur. Corrum-
pitur autem lymphā hæc variis modis, & a statu
naturali recedit, interdum ob succos crudos, vel
in ipso stomacho genitos: vel cum alimentis as-
sumtos: vel ex arteriis aut intestinis immisso, a qui-
bus energia ejus debilitatur & infringitur, sti-
mulusque salinus nimium diluitur. Experiuntur hoc
non raro, qui cachexia, vel aliis sanguinis impurita-
tibus, laborant, ut & qui cibis crudis ac viscidis de-

lectan-

lectantur. Hi enim communiter de appetitu de-
jecto conqueruntur, quia lympha ventriculi, varii
generis particulis impuris & effœtis inquinata,
munere suo non defungitur, &, quo magis eadem
a statu naturali recedit, eo magis appetitus immi-
nuitur, & interdum languet, intertum ægri eo-
dem plane destituuntur. Quandoque lympha
ventriculi, plus justo, aquosa, & magis diluta, aut
particulis suis salinis est orbata, quod in illis obser-
vamus, quorum massa sanguinea multo sero, eoque
excrementitio & inertis abundat, quod copiosius
in glandulis ventriculi secernitur. Interdum par-
ticulæ salinæ, quæ, in statu naturali, lymphæ ven-
triculi sunt admistæ, ab aliis devinctæ & lentore
quodam aut pinguedine obrutæ, suis compedi-
bus semet extricare nequeunt, sed intus retentæ,
vel per alias vias largius excretæ, aut subjugatæ,
officio suo non satisfaciunt. Inprimis pingvia
appetitum mire destruunt, quatenus spicula salina
infringunt, & oblinunt in lympha stomachi, ut tu-
nicam ejus nerveam non possint lacinare, & ideo
quoque hæc lympha ventriculi animam, de assu-
mendo cibo, non potest commonefacere. Novit
hoc ipsum jam suo tempore Avicenna, qui secunda
parte tertii canonis cap. 7. dicit, oleum amygdala-
larum ac adipem vaccinum, famem tollere, &
fuisse aliquem Ministrum Regium, qui peregre

profecturus, olei violarum, cum adipe mixti, libram unam assumpsit, et inediam, absque ulla fame decendum sustinuit. In aliis glandulæ lympham ventriculi secernentes, aut tubuli & arteriarum extremitates sunt infarctæ, & nihil serni secernunt; vel lympha quædam viscosa, in cavitate ventriculi, ejus parietibus adhærens, oppilationem molitur, & tubulos obducit, quo modo pariter lympha in cavitatem ventriculi nulla potest destillare. Ibi itaque ægri, nec appetitu ciborum trahuntur, nec assumta solvunt, sed eadem cruda, per os aut alvum, reddunt; vel gravitatem inde & alia mala plurima percipiunt. Hinc puella illa, quæ in Palatinatu, in pago Schmidweiler / septem annis sine cibo & potu vixit, pituitam crassam ac lentam evomuit, teste Sennerto lib: 3. prax: part: 1. §. 2. pag: 80 & 81. Ipse quoque aer æstivus quandoque efficit, ut lympha in stomacho, ad solutionem ciborum necessaria, deficiat, quando, per poros cutis, nimia ejus quantitas, ob transpirationem nimis auctam, exhalat, quæ non raro salia simul largius eliminat. Contra hybernus aer appetitum communiter auget, quatenus transpirationem imminuit, & salia in corpore cumulat. Hinc, qui per loca nivosa iter faciunt, interdum appetitu nimio, & tantum non fame canina, aut bulino, corripiuntur, quod Bruto, Romanorum Consuli, in itinere

itinere contigit , cum Dyrrachio, quod obsede-
rat, Apolloniam, in magna nivis copia, proficisci-
retur, qui, bulimo correptus, in discrimen vitæ fuit
adductus, paneque, cum jam animus deficeret, re-
focillatus, vid. Plutarchus, in sexto sympos. quæst.
8. p: 694. Nimis etiam quietus, & omni motu ca-
rens, aer appetitum imminuit, cum contra, ventis
crebrius agitatus , appetitum excitet, & augeat,
quod nautæ experiuntur, qui multum comedunt,
& nunquam facile appetitu destituuntur. Non
minus potus nimius appetitum prosternit, diluen-
do lympham ventriculi, & salia ejus disgregando.
Observat itaque Timæus von Gûldenklee/ in Cas-
ibus pag: iii, Baronem quendam, ab usu seri lactis
caprini , jejuno ventriculo affatim assumti , ano-
rexia fuisse correptum , & appetitum, cum insigni
virium jactura , plane fuisse dejectum. Commu-
niter itaque potatores, & qui noctes atque dies,
inordinato tempore, ingurgitant potum, inappe-
tentia laborant, in primis, si ventriculo jejuno hu-
mida largius assumantur. Poteſt tamen hic quo-
que in defectu peccari , cum in nimia abstinentia
a potu, appetitus pariter pereat, quatenus lym-
pha ventriculi nimis parce generatur. Ob hanc
igitur causam pulveres terrei & absorbentes, ipsa-
que martialia in forma sicca, in largiore dosi da-
ta , appetitum dejiciunt, quia non tantum lym-

pham ventriculi nimium imbibunt, sed etiam salia ejus absorbent. Idem experiuntur gulones & qui alimenta, in nimia quantitate, simul & semelingerunt, quia nimium absument lympham ventriculi, & cruditates in stomacho cumulant. Potus quoque crudus, & cerevisia recens, non defecata, aut acescens, appetitum prosternunt, quia cruditates in stomacho augent, & spiritus vini, in primis largior usus, jejuno stomacho sumtus, salia lymphæ ventriculi figit, & solutionem alimentorum vitiat, cruditatesque cumulat. Ipsa denique excernenda, si retinentur in corpore, appetitum depravare solent, quia impuritates humorum augent & lympham totius vitiant. Unde obstructionibus mensium laborantes, & gravidæ, primis potissimum mensibus, de appetitu dejecto conqueruntur. Rarum tamen est exemplum, quod habet Galenus, de locis affectis lib. 6. c. 5. de insigni inappetentia in viduo, uxoris mortem lugente, ex Veneris desvetudine contracta, si quidem malum inde ortum duxit, & non potius a mœrore fuit excitatum. Ubi enim anima nimium occupatur in aliqua re, ibi eadem stimulum, in tunica ventriculi impressum, sæpe non percipit, & ubi spiritus langvent, aut perperam & vitiose exagitantur, vel nervi sunt compressi, aut obstructi, ibi motus & lacinatio salium & lymphæ in ventriculo, ad sensu forium

forium commune non deferuntur. Sæpe itaque in febris continuis, & quibusdam intermittentibus, appetitus est prostratus, propter spirituum motum turbatum, quanquam etiam plures causæ, & in primis lymphæ defectus & ejus visciditas, ibidem conjungantur. Non minus dolores appetitum de jiciunt, quatenus mentem divertunt, & spiritus dissipant, atque in diversas partes trahunt. Hinc arthritici, calculosi, item colica, & aliis doloribus gravioribus, laborantes, communiter cibos non appetunt, & ipsa pedis luxatio appetitum dejecisse, fuit observata. Idem efficiunt deliria, tristitia, terror, & similes animi affectus, unde a tristi nuncio, ex improviso allato, anorexiā fuisse exortam, Practici annotarunt. Ob similem causam melancholici communiter paucis utuntur cibis, quod melancholicus Coloniensis, apud Senn. lib. 3. præx. part. i. §. 2. c. 2. pag. 77. confirmat, qui per septem hebdomades sine cibo vixit, solo haustu aquæ frigidæ contentus, quam vel de die semel, vel alternis diebus assumebat. Hinc etiam fœminæ, passionibus uteri laborantes, pertinaci sæpe anorexia corripiuntur, quia hypochondriacæ sunt, & ad melancholiā sæpe inclinant. Interdum etiam nausea appetitum destruit, quia spirituum motum avertit; unde Schenckius lib. 3. obf. p. 563. notat, cæmentarium, a conspectu capitis vitulini semicrudi, ab omni car-

nium esu, aliquot annorum spatio, abhorruisse. Ipsa
denique opiate & narcotica spicula salina lymphæ
stomachi ligant, & spirituum motum inhibendo, ap-
petitum prosternunt, quod etiam fumus tabaci fa-
cit, quo modo pauperes & milites appetitum fal-
lunt & obtundunt. Simili modo Indi, teste Monar-
do, famem & sitim solantur foliis nicotianæ & con-
chiliis cochlearum fluviatilium calcinatis, & tritis
ac in pilulas vel trochiscos redactis, & in umbra sic-
catis. Tales enim trochiscos in ore detinent, iter
per deserta loca facturi, ubi cibo ac potu destitu-
untur, & hoc modo famen & sitim, per aliquot dies,
tolerant, sine jactura virium, partim, quia sensus &
lancinatio in stomacho obtunditur, partim, quia hu-
mores ex parte figuntur, ut non tam facile dissipen-
tur. vid. Sennert. l. 3. prax. part. I. §. 2. c. 2. pag. 97.

§. V.

Ex hactenus commemoratis signis atque causis,
facile anorexiā, a reliquis appetitus vitiis, licebit
distingvere. Nam Dyforexia, quæ quidem gradu
tantum ab Anorexia differt, appetitum diminutum
denotat, in quo cibi tarde appetuntur, & quasi cum
labore & necessitate ingeruntur. In appetitu ve-
ro aucto & immodico, vehemens edendi cupido
hominem afflit, ubi, si alimenta non statim exhi-
bentur, ægri cardialgia & animi deliquio corripi-
untur, quod mors insequitur. Si vero statim pro-
pines

pines alimenta, ægri quidem reficiuntur, & appetitus brevi cessat, sed vires cito & valde imminuntur, quod appetitus vitium Medici Bulimum appellare consueverunt. Ubi vero appetitus est perpetuus & eo vorandi desiderio laborant ægri, ut exsatiari nequeant, & repleto ventriculo ac mole gravato, assumta per os rejicient, nullisque factis a fame induciis, rursus ad alimenda assumenda extimulantur, ibi Fame Canina ægros laborare dicimus. Oritur malum hoc a continua ventriculi rosione, quam humor acidus, plus minus pituitosus, excitat in tunica ventriculi nervea, cui infidet, qui que non tam facultate solvendi & eliquandi, quam potius vellicandi & irritandi est præditus. In bulimo tamen hæc vellicatio & rosio tunicae ventriculi nerveæ solet esse interpolata, & in appetentia Canina, quandoque loco vomitus quibusdam diarrhæa solet accidere, natura superfluam cibi copiam ad alvum detrudente, quod Senn. in prax lib. 3. part. I. §. 2. c. 3. p. 101. observavit. Facile quoque Anorexia a Pica & Malacia distingvitur, in qua, neglectis cibis naturalibus, ea appetuntur, a quibus alias homo communiter abhorret, ut carnes crudæ, calx, pix, fermentum, terra, cinis, arena, corium, testæ, pannus &c. quæ, data copia, avide ingurgitant. Pendet hoc malum etiam a vitio lymphæ ventriculi, variis inquinamentis pollutæ, pro cuius

cujus varietate, homines quoque vario ducuntur appetitu, licet etiam mentis aliquis lapsus conjungi videatur, & ægri, communiter, sint melancholici, vel hypochondrioci. Illud præterea experientia compertum comprobatumque est, Anorexiā nunquam esse bonum signum, in primis, si citra manifestam causam oriatur, & plerumque graves morbos portendere atque prædicere. Si enim cibi vel nulli, vel nimis parca quantitate appetuntur, vel assumti minus recte solvuntur in stomacho, & in cruditates multiplices abeunt, certe nec vires inde reficiuntur, nec succi corporis, qui in transpiratione continua exhalant, vel alio modo perduntur, redintegrantur. Præterea, si in morborum declinatione affectus hic non tollitur, vel morbo jam sublato, denuo supervenit, recidiva aut alias novus morbus infaustus & periculosus est metuendus. In primis post febres continuas & intermitentes si reddit appetitus, bonum est signum; quam diu vero non reddit, aut, qui rediit, denuo prosternitur, tamdiu causa morbi nondum penitus est sublata, & recidiva imminet. Plus etiam periculi affert, quando vitio spirituum animalium, sensu, vel abolito in stomacho, vel depravato, aut alio modo læso, appetitus profligatur. Notat enim emotionem mentis, non amplius motus in organis excitatos advertentis, & deliria indicat,

quæ

quæ in morbis acutis & febribus malignis periculoso-
sum sunt symtoma, quia tunc propemodum actum
est de ægro, & mors est præforibus. In continuarum
vero & malignarum principio & statu, appetitus
dejectus, sibi relictus, non æque est periculosus, mo-
do redeat in declinatione. In morbis vero chronicis,
sæpe gravem capitis læsionem, & spirituum motum
valde turbatum, morbumque difficultem portendit.
In primis magnum est periculum in morbis chronicis, si cum magno virium lapsu anorexia conjungi-
tur, cum contra in plurimis morbis, si æger recte se
habet, ad ea, quæ offeruntur, & sine fastidio comedit,
bonum sit signum, de quo Hippoc. §. 2. aph. 33. con-
sulatur. Hinc in ægro cachexia ex carie ossis femoris
laborante, mortem prædixit Dn. Præses, judicio non
fallente, ubi anorexia pertinaci corriperetur, etiam-
si inediā per aliquot menses bene ferre videretur.

§. VI.

Quod ad curationem attinet, in eo operam po-
nere Medicus debet, ut colluvies humorum, si quæ in
stomacho fluctuet, leni excitato vomitu mediante
tartaro emet:, vel oxysacharo emet: Ludov:, aut a-
liis, per os rejiciatur, ab eademque ventriculus libe-
retur, si vires consentiant, nullumque contraindi-
cans ejus usum disvadeat. Ubi vero magis intestina
fecibus sunt obsessa, ibi illæ, ope pilularum alœticarum,
Francofurt:, vel tartarearum, vel de tribus,
cum extracto panchymogogo Crollii, aut fibrarum

C

hel-

hellebori nigri, aut resinæ scammonii & gialapæ uno vel altero grano acuatarum, aut pulverum purgantium, ex speciebus diajalapæ Minsicht:, diafenæ, cum rhabarbaro & similibus confectionum, possunt eliminari. Blandæ autem ac mites ejusmodi evacuationes esse debent, quia fortioribus purgantibus vires ventriculi, jam dum debiles, magis atteruntur, & labefiunt. Repetenda itaque potius mitiora sunt, si necessitas postulaverit, non vero simul & semel materia peccans evacuanda. Ubi quoque materia peccans viscosa ac pituitosa est, tenaciterque rugis ventriculi & intestinorum impacta hæret, ac difficulter separatur, ibi magno cum emolumento præmittuntur ea, quæ humores præparant, eosque fluxiles reddunt, & ad exitum disponunt. Præstantiora ex his sunt omnia salia acria, fixa, volatilia & falsa, cum amaris & absorbentibus mixta, quæ utramque paginam faciunt, & evacuationes, sive per os, sive per alvum instituendas, adjuvant. Talia sunt Elixir proprietatis, sine acido, cum spiritu salis ammoniaci mistum, sal digestivum cum lap. canc., coral-liis & C. C. usto, radix ari præp. cum antimonio martiali cacheectico, tartarus vitriolatus, crystalli tartari & tremor tartari, cum matre perlarum, conchis præparatis & similibus.

§. VII.

His peractis, ea in usum medicamenta vocare debemus, quæ reliquias humorum effectorum & vi-

sco-

scosorum extergunt & consumunt, attritos & debilitatos ventriculi villos motrices firmant & corroborant, ac patetactis glandularum ventriculi meatibus, a ffordibus cruditatum variarum obstructis, lymphæ & liquidi nervi affluxum promovent atque instaurant. Inter illa vero ordinem ducunt salia acria fixa v. g. absinthii, carduibenedicti, fumariæ, centaurii minoris, &c. cum aromatibus quibusdam v. c. pulvere stomachico Quercet. & Birkman. &c. mixta, nec non salia volatilia, simplicia & oleosa, uti sunt: spiritus salis ammoniaci simplex & oleosus, sive sal volatile oleosum Sylvii, spiritus bezoardicus, liquor C. C. succinatus, sal volatile succini & C. C. Huc quoque pertinent salia salsa, tam volatilia v. g. sal ammoniacum, ejus flores simplices & martiales, tanquam fixi, item tartarus tartarisatus, tartarus vitriolatus, arcanum tartari, itemque acida, ea que temperata, uti sunt, spiritus salis, nitri, sulphuris, vitrioli dulces, spiritus mastiches simplex & compositus, elixir vitrioli Minsicht:, elixir proprietatis cum vel sine acido, ut & tremor tartari, ac hepaticum rubrum Dresd.: itemque sal gemmæ, & cum his, atque aromatibus quibusdam, compositum sal sacerdotale ac philosophorum Schroederi. Hæc enim insigni vi incidendi, dividendi, & diuretica graudent, insuperque alvum apertam tenent, ac non solum humores peccantes evacuant, sed mirifice quoque sanguinem expurgant, & meatus porosque glandularum ventriculi obstructos aperiunt, ac humores fluxiles reddunt, ad eoque appetitum fugatum revocant atque redintegrant.

§. VIII.

Deinde ad anorexiā tollendam seruit commendant remedia aromaticā & amara, v. g. vinum enulatum & absinthites, essentia absinthii composita, centaurii minoris, fumariae, carduibenedicti, gentianæ, carminativa, myrræ, ligni aloes, elixir citri ambratum, elixir menthæ, aqua vitæ Mathioli, tinctura proprietatis Minsicht., species

aromatic. rosat., cariophillat., diacynamomi, diazingib., diacumini, diatrion pipereon, diagalangæ, diacalaminthæ, aqua menthæ cum vino, melissæ, cinamomi, diaboragina-
ta, cydoniata, pulegii, & hujus generis plura alia. Hæc
enim, præterquam, quod facultate consumendi humores
viscosos pollent, tonum etiam roburque ventriculi debili-
tatum solantur, et gastricam lympham acutint, et amissum
appetitum egregie reducunt, præsertim si in vino genero-
so, vel aliis idoneis vehiculis, aut forma electuariorum, v.
g. electuar. diacori, conserva anthos, menthæ, salviæ, &c.,
propinantur. Laudantur quoque solæ radices conditæ, v.
g. radix zingiberis, zeduariæ, galangæ, helenii, acori, con-
ditæ, quæ mane jejuno stomacho sumi possunt. Alii
commendant mastichen, ad drachmam unam, in ovo for-
bili solum, vel cum cinamomo aut zingibere haustam. Qui-
busdam in frequenti usu est therebinthina cum mastiche
electa & speciebus aromat: rosatis in forma pilularum aut
boli. Meliores vero sunt pilulæ ex extracto absinthii, car-
duibenedicti & centaurii minoris, cum pulvere quodam
stomachico aut absorbente, & gutta una vel altera olei ci-
namomi, aut macis, aut anisi, &c. paratæ. Multi delectan-
tur vinis aromaticis, ex radicibus, zedoariæ, acori, zingi-
beris, helenii, cichorei, pimpinellæ, galangæ, cypri rotun-
di, herba menthæ, majoranæ, fl: roris marini, summittat:
centaurii minoris, fumariæ, fol. laur., semine anisi, fœni-
cul:, cardamomo, cubebis, cinamom:, cariophilli: flaved:
cortic. citr., aurantiorum, baccis juniperi, nuce moschata,
macis, &c. confectis, ac in vino generoso infusis, de quibus
inter prandendum aut coenandum haustus sumi potest.
Conf. Sylvii prax. L. I. c. 2.

§. IX.

Neque etiam negligenda sunt ea medicamenta, quæ
sale marino gaudent, v. g. pulvis ex conchis marinis, testis
ostreorum, matre perlarum, corallii, & similibus, quæ
cum

cum aliis, supra commemoratis, mista, varios pulveres absorbentes & stomachicos constituunt, in primis si hujusmodi pulveres oleis quibusdam stomachicis, v.g. oleo stillatitio cinamomi, macis, menthæ, anisi aut fœniculi, irroraveris. Hæc vero, vel tantum in potu thee, aut coffe, aut in vino, vel alio vehiculo convenienti possunt assumi. Alii mire laudant in langvore ventriculi essentiam ambræ cum salibus oleofis volatilibus, spiritu salis ammoniaci anisato aut cinamomisato, in vino assumendum. Grata quoque est essentia ambræ sicca Zwelferi, in vino malvatico hausta. Quidam commendant balsamum Peruvianum, in spiritu salis ammoniaci vinoso solutum, & in vino sumtum. Aliis etiam in usu sunt trochisci stomachici, vel pulveres stomachici, ante prandium vel cœnam sumendi, per se, aut in idoneo quodam vehiculo. Inter hos quibusdam pulvis stomachicus nobilis in pretio esse solet, qui paratur ex cremore tartari, tartaro vitriolato, matre perlarum, testis ostreorum, coralliis rubris, lap: cancrorum, antimonio dia-phoretico, oleo cariophillorum, anisi, cinamomi, menthæ, juniperi, piperis, & saccharo ad pondus omnium.

§. X.

Vbi vero appetitus dejectus ex vitio nervorum & spirituum animalium oritur, qualia exempla in antecedentibus allegavimus, & in senibus etiam observamus; ibi nervina & cephalica communiter dicta, locum habent, v.g. Cinnabarina, salia volatilia, succinata, ex castareo para-ta, et interdum etiam ambrata, quæ cum stomachicis amaris absorbentibus, & interdum aromaticis sunt commiscenda. Danda etiam sunt medicamenta, quæ iis affectibus competunt, qui spirituum motum turbant, eumque vel inhibit, vel nimium augent, vel depravare solent, quæ, cum varia, pro ratione affectuum, sint, ex peculia-ribus locis sunt desumenda.

§. XI.

Atque hæc sunt medicamenta in anorexia maxime usitata, de quibus tamen notandum est, eadem promiscue, & nullo habito causarum delectu, non esse adhibenda, præsertim, si æger aut medicamentum abhorreat, aut propter singularem ventriculi constitutionem, idem mox vomitu reddat. Proinde specialiter ad causas respicere, & accurate illas expendere debemus, sintne humores crudi & viscosi, tenaciterque ventriculi & intestinorum plicis impacti, an vero acres & biliosi, lancinantes & irritantes canalis alimentorum partes nerveas, aut alias habeant qualitates noxias & peregrinas. Nam, in acrimonia humorum biliosa, præ cæteris præstant subacida & sale marino pollutia, quæ quippe insigniter acres & biliosas ebullientes particulas obtundunt, earumque aciem & spicula hebetant, ac infringunt. Ubi vero humores lenti & pituitosi peccant, ac tenaciter ventriculi & intestinorum tunicis inhærent, ibi magis salia acria, fixa ac volatilia, itemque etiam falsa conveniunt; hæc enim particulis suis acutis pungentibus & scindentibus secant, dividunt, & discerpunt viscosos illos humores, eosque ad evacuationem disponunt, æque ac expurgant. Olea autem destillata & aromatica omnia, semet commendant, in langvore & debilitate ventriculi, in idoneis vehiculis sumta, quatenus, propter agiles & aromaticas suas particulæ, succos vitales, massam sangvineam, ac sigillatim liquidum nerveum mirifice recreant, tantumque eorum motum blande exagitant. Hoc vero modo non solum ventriculo, sed etiam toti corpori robur & agilitatem inspirant, ac lympham ventriculi, quæ antea, propter admixtas alias peregrinas particulæ, effœta & iners erat, perfundunt, & mixtionem naturalem reparant, ac appetitum, qui hactenus exulabat, revocant, atque in integrum restituunt.

§. XII.

§. XII.

Tametsi vero horum remediorum vis & efficacia sibi constat, eaque rectissime in tali ventriculi vitio adhibentur, majorem tamen operandi facultatem adipiscuntur, si illis externis quoque opem feramus, ac stimulum quasi quendam roburque addamus. In quem finem laudamus emplastra, fatus & ungventa, v.g. Emplastrum stomachale Creton:, carminat: Sylv:, de mastiche, de tacamahaca, de crusta panis, de baccis lauri, irrorata cum oleis quibusdam destillatis, menth:, nucis moschat:, macis & balsamo Peruviano, & calide ventriculi regioni applicata. Possunt etiam tam anteriori, quam posteriori regioni ventriculi illini olea destillata, macis, nucis mosch:, menth:, anisi, feniculi, cumini, carv:, cinamom:, cariophill:, & alia, quibus etiam emplast: aliquod superimponi potest. Crusta quoque panis tosti, pulvere cinamom:, macis, nuc: mosch:, cariophillor:, cum vino malvatic:, aut aqua quadam spirituosa vel aceto conspersa, & tepide regioni ventriculi admota, mirifice langvorem stomachi solatur. Aut possunt confici fatus, ex galanga, calamo aromat:, florib: chamomill:, summi: hysopi, fol: absinth:, menth:, cinamomo optimo, mac:, nuc: mosch:, &c. qui in vino generoso conquendi sunt, & tepide ventriculo applicandi. Hic non nulli superimponunt lapidem serpentinum calefactum, aut laterem calefactum, quod potissimum in frigidis & senibus locum habet, & optime facit officium. Conducit quoque charta bibula, aqua menthæ vel alia spirituosa inuncta, & tepide imposta. Ita quoque sacculi ex herbis, radicibus & aromatibus parati, & aqua menthæ spirituosa, vel aqua apopleptica, aut spiritu vini conspersi, laudem merentur, quatenus non solum blando calore suo ventriculum fovent, sed etiam fibras motrices ejus roborant, atque confortant.

§. XIII.

Quod denique ad victus vivendique rationem spectat,
in

in eo studium ac operam suam ita laborantes ponere debent, ut vitent ea alimenta, quæ difficulter conficiuntur, v. g. omnia pingvia, fumo indurata, sale condita, quæ quippe & coctioni ventriculi non obsequuntur, & eundem etiam aggravant, & magis atque magis labefaciunt. Eligant vero potius alimenta, quæ facilitatis sunt concoctionis, jucunda carnium, ova forabilia, & carnes animalium juniorum, & utantur moderate haustu vini generosi. Corpus ante sumptos cibos blande commoveatur, tum, ut transpiratio adjuvetur, tum, ut cruditates ventriculi, si quæ superstites a cibis fuerint, disjiciantur & removeantur. Motus enim qui ante cibum suscipitur, merito est præferendus, post cibum instituto, quatenus corpus blanda ejusmodi commotione agitatum, non solum alacrius evadit, sed humores quoque vitales majore agilitate iter suum per vasa peragunt. Hoc vero modo secretiones omnes in corpore promoventur, & lympha insuper a motu adjuta, promptius in alimenta agit, & intimius penetrat, feliciusque ingestā concoquit, præsertim, si cibus salubris in parva quantitate afferatur. Id enim bene observari debet, ne plus ciborum, quam ventriculi vires ferre possunt, sumatur, tantumque semper, quantum a ventriculo concoqui potest, capiatur. Fugiant insuper ægri affectus animi, in primis curas graviores atque mœrorem, quæ ægram mentem mergunt & corpus mire afficiunt. Quam vero Schenckius lib. 3. obs. p. 564. anorexiæ curationem recenset, ubi fœmina diu a cibis abstinens, per comminationes fuit restituta, illa vix, nisi in hypochondriacis & melancholicis, locum inveniet. Ad hæc omnes excretiones recte procedant, in primis vero alvus & vesica suum officium faciant, in quo si defecerint, vel clystere, vel aliis remediis, tam internis quam externis, illius denuo admoneantur, nihilque, quod ventriculum lædere, & appetitum instauratum profligare rursus aut evertere possit, committatur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.